PHILOSOPHIAE ELEMENTA EX QUIBUS SELECTAS THESES D. LEANDER BELLAROTO...

Leander Bellaroto

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ ELEMENTA

EX QUIBUS

SELECTAS THESES

D. LEANDER BELLAROTO

PANORMITANUS

BENEDICTINO = OLIVETANÆ CONGREGATIONIS MONACHUS

PUBLICE D. D. PROPONIT.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

SENIS MDCCLXXXI.

EX TYPOGRAPHIA VINCENTII PAZZINI CARLI & FILIORUM

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Pulchra quæ videntur, pulchriora quæ ſciuntur longè pulcherrima quæ ignorantur.

Nic. Stenonius in Proæm. Demonſtr. Anatomic.

Digitized by Google

EX LOGICA

I.

QUæ Philoſophiæ pars regulas evolvit opportuniſſimas, quibus mens cogitata ſua rectè inſtituere queat, quæque tùm ad inveniendum, cùm ad demonſtrandum viam, & rationes aperit, ea a quibuſdam Logica, ab aliis etiam Dialectica ſalutatur. Hæc igitur, quæ Scientiarum omnium veluti limen conſtituit, Philoſophiæ Elementa antecedat oportet.

II.

Neglectis porrò innumeris Dialecticorum præceptis, quibus veterum præſertim ſcripta referta ſunt, eo minus neceſſaria, quo magis adoleſcentibus permoleſta, cognitiones omnes ad judicium eſſe referendas ſtatuimus.

III.

Itaque qui duplicem ideam conferens, objectum alterius in altera contineri, vel ab altera excludi cognoſcit, hinc notiones illas vel convenire invicem, vel a ſe invicem diſſentire pronunciat, is dicitur judicare. Judicia hinc affirmativa, vel negativa, vera, vel falſa.

IV.

Comparatis inter ſe duabus ideis, ſi quando contingat ut earum convenientia vel diſcrepantia minime appareat, nullaque ad judicium ferendum via, tunc tertiam quamdam, quæ nobis clarior ſit, notionem aſſumimus, cum qua deinde ideam utramque conferentes, facilius earumdem inter ſe nexum, pugnamque colligimus,

Digitized by Google

eo, innixi principio, de quo nemo ſanus dubitat, *quæ conveniunt uni tertio, conveniunt inter ſe*, & contra. Dum id facimus, ratiocinari dicimur, ſeu demonſtrare.

V.

Eſt proinde ratiocinium apta quædam judiciorum, quorum aliud ab alio dependet, diſpoſitio, atque connexio, qua fit, ut cognita duplicis ideæ ad tertiam quamdam habitudine, earum inter ſe reſpectus eluceat: ubi cum Cl. D'Alembert T. IV. *Melanges de Litterature* maximè advertendum, ut mutuam idearum dependentiam accuratiſſimè obſervemus, ut ne falſa genealogia lacunas compleamus, neve nos pudeat eos Geographos imitari, qui terris hactenus notis ſtudioſè deſcriptis inania quædam relinquunt cum modeſtiſſimo hoc titulo *Terræ incognitæ*.

VI.

Plura in Scholis, & quidem tergiverſationibus foedata, ac terriculamentis plena, quæ aures vulnerant, & offendunt, ad hanc mentis operationem excolendam traduntur. Non ideo tamen negligi omnino debet uſurpata in illis ars, qua ea dirigi conſuevit. Utiliora ejuſdem præcepta & nos proſecuti ſumus.

VII.

Principia omnia, quibus Philoſophi in omni veritatum genere inveſtigando utuntur, operæ prætium duximus hic inquirere. Et primum utrum veritas ab humana mente obtineri poſſit; dein quænam ſint ejuſdem veritatis dignoſcendæ indicia penitus infallibilia.

VIII.

Opportune quapropter quid ſit veritas Logica determinatur; quæ quidem vel *formalis* eſt, vel *objectiva*; illa eſt, uti adnotat Genuenſis Artis Logico-Criticæ Lib. 3. Cap. 1. conformitas judicii cum ideis, quare ſic ſpectata veritas nihil contrarii habet; objectiva vero eſt conformitas judicii, vel idearum cum objectis ſuis, cui opponitur falſitas itidem objectiva; dum ſcilicet ideæ noſtræ, & judicium difforme eſt a natura, & objectis.

IX.

Certitudo autem dicitur ea firma, prudenſque mentis adhæſio in judicio aliquo, ſive affirmativo, ſive negativo. Satis vero intelligitur, quod hæc animi adhæſio ab aliqua ratione ſufficienti proficiſci debet, quæ quidem ſi habeatur, ſufficiens habebitur veritatis indicium, ſeu, ut ajunt Criterium.

X.

Porrò ſi ſufficiens veritatis indicium ejuſmodi ſit, ut fallere haudquaquam poſſit, certitudinem parit Metaphyſicam; ſi fallere ſolum-

Digitized by Google

ſolummodo nequeat juxta comunes naturæ leges, Phyſicam, ſi ſecundum leges dumtaxat humanæ prudentiæ, Moralem efficit certitudinem.

XI.

Sufficiens hujuſmodi indicium, ſeu criterium veritatis a Philoſophis paſſim reperitur in ea claritate, qua *ſubjectum prædicato* convenire cognoſcimus, quaeque evidentia dici ſolet. Quia vero indicium veritatis infallibile ſub qualibet conditione ſolet reperiri in principiis vel demonſtrationibus purae intellectionis, aut etiam in experientia actuum noſtrorum, indicium extra miraculum infallibile in uſu ſenſuum, indicium denique moralis certitudinis in uſu auctoritatis inde fit, ut paſſim dicatur eſſe evidentiam Metaphyſicam in rebus pure intelligibilibus, Phyſicam in ſenſibilibus, Moralem in credibilibus.

XII.

Animadvertendum tamen eſt, non modo vim humanae auctoritatis, ſed inductionis incompletae, & analogiae ad evidentiam, & certitudinem moralem revocari: vim praeterea utriuſque argumenti quandoque eſſe tantam, ut juxta plures Philoſophos evidentiam pariat ſaltem phyſicae aequivalentem, imo ſi a *Theopneuſtis* auctoribus divina ſit, tunc certitudinem metaphyſicae aequivalentem produceret.

XIII.

Hiſce praemiſſis, ac uti par eſt, accuratè pertractatis, quid ſit Pyrrhoniſmus, ſeu Scepticiſmus definitur; qui profectò, ſicuti errores ferme omnes, diverſos diverſis temporibus habuit gradus.

XIV.

In tria genera hunc diriniunt Recentiores, *Univerſalem* nempe, *Immoderatum*, & *Moderatum*. Huic poſtremo nos quoque addictos eſſe fatemur, quippe quo, nil aliud definitur, niſi hominem in multis errare, pauca cognoſcere, ſi cum noſcendarum rerum numero comparatio inſtituatur.

XV.

Sceptici Univerſales in praeſens, nulli ſunt, neque ulli ſaltem ex animi ſententia extitere unquam, & ſi qui forent, eos mente captos, nullaque diſputatione dignos cenſemus.

XVI.

Ergo contra immoderatos potius, qui vix quidquam aliud praeter propriam exiſtentiam, actuſque noſtros a nobis cognoſci poſſe contendunt, criterium evidentiae reſpuunt fere in omnibus, nihil ſenſu, nihil auctoritate, ut verum, comparari poſſe affirmant, agendum

 eſt,

Digitized by Google

eſt, ut qui ex Anglia, Boruſſia, Gallia frequentiſſimi aetate noſtra erumpunt, eo praeſertim conſilio, ut dum rationis, ſenſuum, auctoritatis evidentiam in dubium revocaverint, omnia pro Religione Revelata argumenta facilius refellant.

XVII.

Contra hos igitur, qui e fontibus Sexti Empirici hortulos ſuos irrigarunt, defendimus, hominem praeter ſui, actuumque ſuorum conſcientiam, quam Sceptici Recentiores cognoſci affirmant, alias certo etiam tenere veritates, quarum infallibile criterium eſt Evidentia.

XVIII.

Duplex praeterea ſtatuitur evidentia; immediata ſcilicet, & mediata. Prima oritur ex cognitione immediata, quae ex ſola idearum inſpectione excitatur: ſecunda ex perceptione mediata relationis inter ideas ipſas intercedentis. Utroque modo veritatem aſſequitur homo, ex quo diviſio totius humanae cognitionis in intuitivam, & demonſtrativam.

XIX.

Evidentia intuitiva, qnandoqne etiam demonſtrativa, in re metaphyſica judicia efficit metaphyſicè certa.

XX.

Qninimmo eodem evidentiae lumine judicia de plurium corporum exiſtentia phyſicè certa eſſe ſtatuimus contra Idealiſtarum argutias, maximeque contra Berkeleyum in opere, cui titulus: *Dialogues entre Hilas & Philonous* atque Davidem Hume.

XXI.

Inductioni incompletae etiam, ſi rite inſtituta fuerit, ſua eſt evidentia, & certitudo moralis phyſicae aequivalens, quae cum & ipſa in experientia ſenſuum verſetur, lubuit diſtinctius huc proponere leges, quibus rite ſenſus in experimentis capiendis ſunt dirigendi, & quae ad ipſum pertinent obſervatorem.

XXII.

Ad humanam progrediamur auctoritatem, ſeu fidem, quae ſane hiſtoriam, traditionem, aliaque monumenta ſcripta, ſculpta attingit, quaeque humanae fidei potiſſimum objectum efficiunt.

XXIII.

Totum humanae fidei fundamentum, evidentia tota, totaque certitudo ab ipſa teſtantium auctoritate promanat. Eatenus enim quiſque de facto quopiam certior eſt, quatenus eorum, qui factum narrant, auctoritas major eſt. Hinc tota vis auctoritatis erit in ratione directa ſcientiae, probitatiſque Auctorum. Quodlibet ſiquidem in ſocietate

men-

Digitized by Google

mendacium, vel ignorantiae, vel teſtis imp robitati, vel uttique adſcribendum eſt, fallere enim hominem homo naturaliter neſcit, cum ubique gentium mentiri probroſum ſit.

XXIV.

At quaenam eorundem probitatis certitudo haberi poteſt? Humanum quippe animum innumeris cupiditatibus obnoxium quotidie experimur quiſque ſuos patitur manes. Locus hic ille eſt, in quo Recentiorum Scepticiſmus exultare, ſibique plaudere eo uſque conſuevit, ut humanae auctoritati. quoad facta plus minuſve communia, nil praeter majorem minoremve probabilitatem, quoad facta vero ſupernaturalia, ſive miracula, fidem omnino nullam concedant; contra quos duce praeſertim Clariſſimo de Prades in Diſſertatione de humana certitudine apud Encyclopediam, haec ſtatuimus.

XXV.

Quod factum perilluſtre, grave teſtes oculares plurimi vel coaevi natione, aetate, moribus, ſtudiis, affectibus, vel religione diſſimiles, conſtanter, atque uniformiter memorant, eſt evidenter certum certitudine morali quam quod maxima.

XXVI.

Quae quidem omnia vigent, ut ut factum ſupernaturale videatur, ſecus ac pueriliter emittunt vocem Auctor Libri *Penſees Philoſophiques*, Rouſſeau in Epiſtolis atque in Emilio, David Hume Tomo II. *Eſſais Philoſophiques*, & paſſim Voltaire, aliique ejuſdem naturae Auctores.

XXVII.

Utrumque porro factum oculari, quod diximus, teſtimonio firmatum, ad loca ſubinde, & ſaecula etſi remota, nullo certitudinis detrimento propagari poteſt; propagationis vero medium eſſe poteſt ore primum facta traditio, cujus leges tum definimus, auctoritatem protegimus, calculo iterum cavilloque Deiſtarum plurimum circumeventam.

XXVIII.

Item concors & ſynchrona multiplicis Scriptoris hiſtoria, neque traditioni, neque monumentis contraria.

XXIX.

Multiplex denique monumentorum genus ipſo facti tempore inſtitutum, neque plane contrarium traditioni, aut hiſtoriae.

XXX.

Optandum ſane eſſet, ut omnes humanae cognitiones aut intuitiva, aut demonſtrativa, vel morali evidentia niterentur. At quandoque fit, ut ab expenſis Philoſophiae locis neque nulla, neque

que ſufficientia eluceant veritatis indicia, ſed vel ex certis principiis incertae, vel certae ex incertis cognitiones inferri debeant; id non raro contingit in Phyſica, Medicina, Juriſprudentia, facultatibus ferme omnibus, omnibuſque ſocietatis humanæ artibus, in quotidianis denique hominum actionibus; Hos inter ignorationis, ſcientiæque limites probabilitas ampliſſime dominatur, major quidem, vel minor pro ut ad finem alterutrum accedat magis.

XXXI.

Sed ne vagis imperfectiſque ideis diſputemus, atque utiliora proferamus probabilitatem aliam dicimus nobis eſſe vel propoſitionis vel theſis, ſuppoſitionis aliam, vel hypotheſeon. Quamobrem diſtinguendæ ſunt propoſitiones hypotheticæ, ab iis, quæ dicuntur abſolutæ, ſeu ut alii loquuntur *de facto*.

XXXII.

Ad hypotheſim autem aliquam omnimode conſtituendam probabilem videtur neceſſe, ut nulli principio, aut facto certe cognito adverſetur, tum ut phænomenis omnibus ſatisfaciat, quorum cauſa fuerit excogitata.

XXXIII.

In re ergo ſaltem phyſica, ubi cætera ſint paria, probabilitas hypotetica erit in ratione ſimplicitatis ejuſdem.

XXXIV.

Probabiles haberi poſſunt propoſitiones *de facto*, modo illarum rationes in eiſdem circumſtantiis plerumque conſenſerint veritati. Defluunt hinc facile diverſi probabilitatis gradus.

XXXV.

Dantur imo propoſitiones *de facto*, quarum probabilitas major, vel minor evidenter demonſtrari poteſt. Canones propterea, quos Critici de probabilitate varia fructuoſe decernunt, veluti comites habuimus.

XXXVI.

Manca ſatis, atque imperfecta eſſent, quæ hactenus de cognitione immediata, & demonſtrativa, de morali evidentia, deque conjecturis, & probabilitatibus indicata fuere; imo nullius eſſent uſus, niſi recto ordine traderentur, & ad optimam methodum conformarentur. Inquirenda igitur aliqua eſt methodus, qua ideæ, judicia, ratiocinationum ſeries, in unoquoque philoſophandi principio diſponendæ ſunt ad veritatem facilius, & tutius obtinendam. Utrum methodus ſit tertia, an quarta mentis operatio, ſeu aliquid diſtinctum ab apprehenſione, judicio, ratiocinatione Scholaſtici veteres diu, multumque, atque inutiliter diſputarunt.

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII.

Hujuſce autem quæſtionis ſolutionem quiſque per ſe colligit ex alia longe utiliori, quam inſtituunt recentiores Metaphyſici: quænam videlicet methodus ad inveniendam veritatem atque edocendam accomodatior fuerit.

XXXVIII.

Ad utrumque uſum tum inveniendi, tum demonſtrandi ea ſane methodus opportunior magiſque conſentanea habenda eſt, quæ cognitas ideas ita diſponat, ut ad minus notas tranſiliat animus, facilius æque, ac ſecurius; vitatis nempe idearum digreſſionibus, errorumque ſcopulis, quibus hoc in itinere miſerrime allidunt quam facile hominum ingenia. Oportet itaque in qualibet Scientia primum cognitiones expendere, quas circa rem, in qua verſamur, habemus, earumque geneſim evolvere.

XXXIX.

Difficultas itaque, tota quanta eſt eo reducitur, ut optime animadvertit Clariſſimus de Condillac, ut via, ac ratio determinetur, qua a cognitis ideis ad eas, quæ majorem cum eiſdem connexionem habent, ſit procedendum. Porro combinatio, cui maxime hæc connexio reſpondet, ea eſſe videtur, quæ magis eſt ipſi rerum generationi conformis; A prima itaque idea exordiendum eſt, a qua ceterarum geneſis pendet, donec catena cognitionum omnium exoriatur, cujus annuli, qui ſunt totidem ideæ, nullibi ſint interrupti. Optima ergo erit Analytica methodus, cujus præſtantiam, dignitatem, utilitatemque nedum Recentiones, ſed Veteres etiam tantopere commendarunt.

XL.

Ab idearum origine, & generatione dum praecipimus initium eſſe deſumendum ita intelligendi ſumus, ut ſemel id faciendum velimus, cum aliquarum cognitionum claſſem, ſeu Scientiae ſtudium aggredimur.

XLI.

Nec tamen penitus in omni fere Scientiarum genere Syntheſim rejiciendam, eliminandamque cenſemus; interdum enim per ipſam abſque magno temporis diſpendio ad cognitionem aliquam accedimus; ea enim vitia, quae apparatum Syntheticum inficere traducuntur, ſunt potius vitia hominum Syntheſi abutentium, quam propria ejuſdem methodi; imperitique Doctores non minus Analyſim, quam Syntheſim corrumpunt.

EX

Digitized by Google

EX PHYSIOLOGIA

XLII.

LOgicis inſtitutionibus e veſtigio Phyſiologiam ſubjicimus; idque methodo utiliſſima, ut præ aliis viſum eſt Carolo de Bonnet: Ea enim inſpicit, deſcribitque, quæ jucundiora ſunt, & ſcitu prorſus neceſſaria videntur, ut quis tuto pede e Phyſica proprii corporis ad animum ipſum expeditius deveniat.

XLIII.

Corpus humanum introſpicienti continuo ſe ſe offert ejuſdem ſtructura. Quæcumque ſint prima corporis elementa, in quibus ſtatuendis non immoramur, utpote quæ ſenſibus ſe ſurripiant, ſimpliciſſima, individua, forte etiam inextenſa, quorum aſſociatione, vel diverſa combinatione fluida equè, ac ſolida omnia componuntur, partes corporis minus compoſitas generali diviſione in fluidas, & ſolidas diſpeſcimus.

LXIV.

Solidorum omnium organicorum in humano corpore ea eſt communis fabrica, ut eorum elementa, quæ prima microſcopium attingit, ad fibras commode revocari poſſint; quarum duplex genus eſt: Alterum *lineare* eſt, & filum rectum aut ſtamen refert, conſtat autem ex fibris ſibi invicem parallelis; alterum dicitur *lamellare* quia in laminarum formam contexitur.

XLV.

Elementa fibras ipſas conſtituentia, ut analyſis Chimica hactenus tentata a Clariſſimis Viris oſtendit, ſunt Terra ſimul, & Gluten, Aere, Aqua, Oleoque conflatum, quibus addi poteſt parva aliqua Ferrei elementi portio cum Terra ipſa permixta; unde facile intelligitur hujus metalli occaſione firmitatem fibris accedere, & ſi neque tam communis, neque admodum ſenſibilis deprehendatur.

LXVI.

Perſpecta fibrarum fabrica eadem methodo in reliquarum ſolidarum partium examine ad earundem uſum potiſſimum attingendum progreſſi ſumus. Quibus animadverſis viſum eſt illicò inquirere, qua via & vi circulatio ſanguinis peragatur.

XLVII.

Itaque primo totum ſyſtema venoſum, ac arterioſum ad regularem figuram duximus redigendum; Ea igitur vaſa tanquam duos concipimus divergentes conos, quorum apices in corde, baſes

Digitized by Google

ſes in extima corporis parte porrigantur, ita ut tam in apice, quam in baſi inter ſe mutuo communicent.

XLVIII.

En jam explicationem: Circulatio in animali corpore perfecto, dici ſolet jugis motus ſanguinis è ſiniſtro cordis ventriculo egreſſi per arterias in venas tranſeuntis, in ſinum dexterum redeuntis, hinc per pulmones ad ſiniſtrum, unde primo egreſſus fuit, relabentis.

XLIX.

Hujuſce circuitus potiſſima cauſa habetur ex alterna cordis actione, ſeu Syſtole, ac Dyaſtole, quæ tanta eſſe videtur, ut perpetuò cor ſanguinem a venis acceptum in arterias evacuet.

L.

Pluribus jactantur ſalebris nonnulli Phyſiologici cum ſanguinis velocitatem in circulatione abſolvenda calculis, ſupputationibuſque firmandam eſſe contendunt, & nonniſi æquivocas, & vagas exhibent hipotheſes. Si qua tamen probabilior hactenus conjectura, ea videtur deſumenda a majori, minorique æquabilium pulſationum numero; in adoleſcentibus major, quam in ſenibus; Æſtivo tempore minor, quam Hyemali, major in corporis exercitatione, quam in quiete.

LI.

Inquirentes cauſam, qua arteriæ pulſent non item venæ, eam non dicimus cum De La Mure eſſe abs immediata cordis actione, qua & illæ è loco eodem tempore cieantur ſuo; ſed a ſanguinis impulſu majori in elaſticos arteriarum parietes, qui poſtremò dilatantur alternatim, ac conſtringuntur.

LII.

Hactenus circulationem ſanguinis conſideravimus; Videamus nunc de Mechaniſmo reſpirationis. Duplex eſt actio in reſpiratione; Altera, qua attrahitur aer, & hæc inſpiratio; Altera, qua expellitur, & expiratio vocatur.

LIII.

Experimenta in hanc rem ſæpe inſtituta, diligentiuſque confirmata evincunt activa; ac immediata reſpirationis organa eſſe præſertim in ſtatu naturali Abdominis, Thoraciſque muſculos, ac Diaphragma; non item in ſtatu animalis violento, in quo a muſculis quandoque pulmonaribus reſpiratio, quæcumque ea fuerit, perficitur, ut magni nominis Auctores in obſervationibus a ſe captis didicere.

Digitized by Google

LIV.

Aer externus ſua qua pollet elaſticitate in omnem ruit partem; ubi minorem reperit reſiſtentiam, aucta pectoris capacitate, & rarefacto hinc aere interno invadere propterea pulmones debet, atque omnia eorum vaſa replere. Sic inſpiratio intelligitur.

LV.

Cum verò in pulmonibus a ſanguine calidioribus aer incaleſcat, elatere ſuo aggreditur vaſa minima comprimere, & ſanguinem a corde aſſiduè devenientem morari. Hæc cauſa moleſtiæ ſubindè ſummæ, cui ut occurrat vivus homo relaxat vires inſpirationis, cietque in actiones vires expirationis, muſculos nimirum Thoracis, qui depreſſores dici ſolent. Quare Coſtæ deprimuntur, attollitur Diaphragma in priſtinam convexitatem ſuam, & pectus anguſtius fit; aer internus, qui in æquilibrio erat cum externo, jam condenſatur magis, unde & vim majorem exerit in externum uſque dum aliqua ejus pars per Tracheam exiliat; Quæ quidem expiratio eſt.

LVI.

Aeri reſpiratio aditus in ſanguinem patet. An ab ipſo ſanguinis rubor? Id nulli principio certe cognito adverſatur. Quæ vero protulerunt experimenta Clariſſimi Cigna, & Beccaria, adeò rem conficiunt, ut vir ſummus, & nunquam ſatis laudandus Haller cum primum ea perlegit, ſe maximè ab iiſdem frangi, ac cauſam omnem ammittere profeſſus ſit.

LVII.

Sunt qui opinantur refrigerari in pulmone ſanguinem: quod eatenus verum nemo inficiabitur, quatenus aerem contactu calefaciat. Sed pulmonem non ad refrigerandum ſanguinem a natura fore comparatum, maximè vero ad ipſius indolem perficiendam, Lippis hodie, ac Tonſoribus compertum, exploratumque eſt.

LVIII.

Etenim vapores plurimi è ſanguine exantlantur hoc reſpirationis beneficio; cumque alternis arterioſum, & venoſum ſyſtema in pulmonibus compeſcatur, & frictio magnoperè increſcat; facilè hinc eſt concipere cur fluiditas, diſſolutio molecularum in minimas maſſulas, ſeparatio particularum diſſimilium, commixtio diverſorum humorum in ſanguine contingat. Quare ubi primum chylus nuper a vena cava in ventriculum dexterum acceſſerit luridus adhuc, impurus, otioſus, in minimis pulmonum vaſculis ex affrictu quidem reſpirationis ex aeris commixtione vexatur, atteritur, attenuatur, cum priſco ſanguine commiſcetur, fluidus efficitur, calorem, ruborem nanciſcitur.

LIX.

Digitized by Google

LIX.

Huc referuntur Loquela, Cantus, Suſpirium, Oſcitatio, Tuſſis, Sternutatio, Suctio, Singultus, aliique ejuſmodi reſpirationis effectus, ſive modificationes, quæ omnia paucis tangimus. De Riſu, & Fletu commodius in Pſycologia, ubi de origine affectuum.

LX.

Evoluta reſpirationis theoria latè patet quid ex ſanguine perfecto adjumenti capiat tota hominis machina; cujus fluida æquè ac ſolida enutriuntur, ac reparantur, quare & ipſa nutritio habetur. Quotquot deindè experimentis deprehendi potuerunt in humano corpore humores principia ſua in ſanguinea maſſa habentes, omnes in univerſum a ſanguine in certis organis ſecernuntur.

LXI.

Illud etiam Anatome, ac Hiſtoria Naturali auſpice inquirimus, quomodo a Natura obtineatur, ut hoc loco Aqua, alibi Oleum, alibi Humores alii è ſanguine decedant. Verum gordium ſecretionis nodum ſolutu difficilem reliquimus intactum. Multæ quidem a Viris præclariſſimis excogitatæ fuerunt hypotheſes ad hujuſce nodi ſolutionem: Fermenta ab Helmontio, pororum diverſitas a Carteſio, attractio a Newtono, ab aliis deindè Newtonianis diverſimodè applicata. At hæ, aliæque ab aliis productæ gravioribus ſingulæ premuntur difficultatibus. Nil ergo in tanta rerum caligine definimus, uſque dum novus inveniatur Alexander.

LXII.

Ut ſanguis conſtanter membra omnia enutriat, enutriri & ipſe quandoque debet. Id maximè cibi, & potus digeſtione peragitur. Præparatus in ore cibus media maſticatione præſertim, atque ſaliva detruditur in pharyngen ope etiam linguæ, tum deorſum per œſophagum propellitur, donec in ſtomacum deveniat: dum interim per œſophagum devolvitur ſalivam uberiorem ex glandulis circumſtantibus exprimit, donec perfecta in ventriculo abſolvatur, quæ dicitur digeſtio; ita ut chylus inde exiſtens in Pylorum ſtomaco exoneretur.

LXIII.

Quænam autem digeſtionis minus diſſona explicatio? Salebroſa quidem eſt inquiſitio, circa quam apud Phyſiologicos diviſa ſemper fuere ſtudia. Alii enim abs unica fermentatione, alii abs unica trituratione repetebant; alii denique multi multa excogitarunt, imò finxerunt. At Clariſſimus ac Solertiſſimus Abbas Spallanzani, Ticinenſis R. P. in Lib. *Diſſertazioni di Fiſica animale, e vegetabile* eam dedit, quæ adeo claris, atque indubiis experimentis a ſe

Digitized by Google

exitu felici captis undequaque firmata videtur, ut cogere profectò debeat ad aſſentiendum ſi non protervum, & repugnantem, at certè docilem ac cordatum Philoſophum, & ad veritatis leges probè comparatum.

LXIV.

Quid ergo, & unde cauſa proxima injucundæ ſenſationis famis, atque ſitis? Illa habetur cum ventriculi juga attritu continuo ex motu periſtaltico ventriculi proprio, non raro a diaphragmate, muſculiſque abdominis majorem in modum aucto, aut etiam vellicatione humorum, concitantur. Hæc ex ſiccitate, & humorum ſæpè acrimonia quam humor nativus non contemperat in Lingua, Palato, Faucibus, OEſophago, Ventriculo.

LXV.

Vitalibus iſtis, aut mechanicis functionibus ritè cognitis, jam facilis patet aditus ad Animaſticas; quarum præcipua videtur ſenſatio, quæ tunc exiſtit cum ſenſifera organa actione corporum circumpoſitorum mutantur, moventur, agitantur, ac immutatio iſtiuſmodi per vehicula, ut ita dicam, eò deferatur, ubi abs anima poſſit percipi, & quidem pro objectorum diverſitate adamuſſim diverſa.

LXVI.

Vehicula quibus hujuſmodi fit propagatio ſunt Nervi, quorum natura & indolis talis profectò videtur, ut propagationis felicius evolvat phænomena: ſiquidem & a cerebro omnes originem ducunt, ac per totum corpus ramificati conſpiciuntur, molles ſunt, pulpoſi, flacidi, inflexu ſæpè incurvati, & vaſculis, celluliſque refertos eſſe, præter Malpigium, Lowerum, alioſque antiquiores Anatomicos deprehenderunt immortales Viri Boerahavius, Haller, Vanſwieten, & Mollinelius; ſucco denique, per eos excurrente, irrigantur quoddam apprimè fluido, ſubtiliſſimo, alacri, & ſummè mobili, maximeque activo, quem *Spiritus Animales* appellamus.

LXVII.

Minus ergo rectè opinantur, imò næ hallucinati, qui nervorum tremorem, vel quandam oſcillationem, rationi conſonam elaſticorum ponebant.

LXVIII.

Quoniam igitur nulla ſenſatio ex ſenſibilium rerum appulſu excitari in nobis poteſt niſi mutatio externi ſenſorii cerebro propagetur, ut ex ampliſſima etiam experimentorum ubertate, ac obſervationum congerie jamdudum norunt omnes ex penitiori Anatome Æſculapii nepotes, hinc rem veluti extra omnem teli jactum con-

Digitized by Google

conſtituimus: in nervearum fibrillarum cerebri motione, quæ ſenſorium ipſum proximè conſtituunt; ſiſtere cauſam ſufficientem, imò unicam abs qua ſenſatio omnis proximè determinatur.

LXIX.

Quare optimè quidem ſtatui poſſe videtur animorum ſedem in eodem cerebro eſſe ſtatuendam. At verò tot inter cerebri partes quænam potiſſimum feliciſſima eſt habenda? Id vero eſt in quo aſſignando Carteſius, Vieuſſens, Lanciſi, De La-Peyronie in varia diſtrahuntur. Omnes enumerat Dominus Diderot in Encyclopedia Artic. *Ame*; quarum quænam veroſimilima? nec definire auſim, nec licet opinari.

LXX.

Ubi verò ſin aliquibus corporis partibus motus ab anima excitetur per muſculos id fit, qui propterea motus muſcularis dicitur.

LXXI.

Ex propemodum infinitis Phyſiologorum hypotheſibus ad muſcularem hanc actionem explicandam excogitatis planè oſtenditur rem explicatu perdificilem eſſe. Quamobrem controverſiam hanc definire certè haud volumus; ſed probabilius exiſtimamus inſitam eſſe in fibris muſcularibus vim contractilem, cujuſcunque tandem ſit generis, aut originis, quam ſane aliis corporibus ſaltem analogam deprehendimus, & quæ ſtimulo irritata earum actionem efficiat: ſtimulum autem in muſculis potiſſimum voluntariis eſſe a fluido nerveo affluente.

LXXII.

Dixi fluidum nerveum eſſe ſtimulum in muſculis potiſſimum voluntariis, quia Scholæ Hallerianæ videtur natura muſculis involuntariis, præſertim cavis ſtimulos quoſdam peculiares applicuiſſe; cordi ſcilicet, & arteriis ſanguinem; aerem, cibum ventriculo, inteſtinis; bilem fellæ veſciculæ, lucem iridi, quibus certè dubium eſt, utrum ſpiritus animales requirantur tanquam conditio muſculum integrans, an potius tanquam cauſa extimulans.

LXXIII.

Non ea modo objecta, quæ præſentia ſunt, ſed, & quæ jamdudum ſenſibus uſurpata fuerunt paſſim audimus, videmus, experimur, & ita menti oberrant, ac ſi quaſi eorum imagines licet languidiores obverſarentur animo. Huc ſpectat præſertim memoria, qua percepta olim ſenſibus fideliter revocamus: huc etiam phantaſia, ſeu rerum, quas numquam ut tales percepimus, imaginatio, qua nimirum ex ideis revocatis, novas componimus, aut alias ſecus conjungimus, diverſimodè augemus, minuimus, aut ſeparamus.

LXXIV.

Digitized by Google

LXXIV.

Ad memoriam quod ſpectat rerum ſenſibilium, obſervationibus, atque factis ſuffulti illam ab inſtauratis cerebri motionibus immediatè determinari ſatis probabiliter cenſemus. Nequeunt verò motus ad memoriam generatim accomodati in cerebro reſtaurari, quin veſtigia in eo fuerint aliqua a præviis ſenſionibus relicta.

LXXV.

Ab aſſertis itidem veſtigiis minimè abhorret imaginatio vel imò ab iiſdem pendere videtur, quæ ſi admodum vivida fuerit quoſdam ſibi analogos in externis organis motus haud ita raro producit.

LXXVI.

Atqui ex imaginatione prægnantium mulierum nævos aliquos, ſeu ſtigmata, vulgo *Voglie* imaginationi reſpondentia contrahunt in utero fetus.

LXXVII.

Age, nunc quaſdam præcipuas hominis evolvamus viciſſitudines. Somnus, & vigilia, in quibus humana vita alternis verſatur, magnoperè a corpore pendent. Ille ſtatus eſt in quo vitales operationes communiter lenteſcunt, animaſticæ ceſſant ex minori in nervis ſpirituum animalium copia, & motu; hic illi eſt oppoſitus.

LXXVIII.

Somnia verò naturaliter habita ſunt perceptiones animi a veſtigiis poſt ſenſationes relictis in cerebro determinatæ. Communis autem ratio cur ſeries veſtigiorum idoneæ, ad ſomnia recordabilia excitentur a mediocri ſpirituum animalium influxu plerumque repetenda eſt; quandoque etiam a ſenſatione aliqua determinari non inficior.

LXXIX.

Aliquid etiam de vi, aut lege, qua partes omnes excreſcunt, ſtent, iterumque imminuantur, de proceritate, colore, longævitate, deque certæ mortis indiciis diſſeruimus.

LXXX.

Poſtremò paucis delibavimus propoſitam de bipede, aut quadrupede humanæ ſtaturæ modo quæſtionem a Rouſſeau omnium primo in lib. *De Origine inæqualitatis inter homines*, propoſitam: qui poſtquam plura protulerit pro quadrupede argumenta, bipedem luculenter propugnat, ſic ut Auctor iſte quanquam in reliquis homines ad ſylvas more ferarum traducere vellet, tamen hac in re, ſecus ac feſtivè contendit poſt ipſum Cl. Doctor Petrus Moſcati, rectos nos eſſe ſinit.

EX

EX PSYCHOLOGIA

LXXXI.

HActenus hominem phyſicum conſideravimus; jam nunc ad metaphyſicum properemus oportet. Relationes ergo dum inquirimus, quas cum corpore phyſico habet animus, occurrit primum expendere quanam conjunctione ad ipſum pertineat. Traditis propterea iis, quæ ad unionem tum phyſicam, tum moralem efficiendam maximè congruunt, conſtituimus phyſico homine ineſſe animam, quæ cum corpore organico, quod inhabitat, utroque unionis genere copuletur.

LXXXII.

Phyſicæ unionis dogmate conſtituto, ad ſolemniora de modo unionis ſyſtemata gradum facimus, quæ inſcribuntur *Cauſſarum Occaſionalium*, *Harmoniæ Præſtabilitæ*, *& Phyſici influxus*. Primum placet Carteſianis, qui Deum quaſi ex machina advocant, atque a rebus creatis efficientiam omnem ſummovent: alterum Leibnitiani defendunt, qui ſuas animo, ſuas etiam corpori actiones adſignant; ſed alterum volunt ſeorſim ab altero operari. Tertium tuebantur Peripatetici, qui non modò actionem animæ in corpus, ſed motum corporis in animam redundare exiſtimabant.

LXXXIII.

Cum *Occaſionaliſtarum* ſyſtema abs Nicolao Malebranchio potiſſimum illuſtratum, in quoddam univerſale principium immediatè omnia pertrahat, ex hoc primum capite illud duximus oppugnandum. Cum verò neque eidem unioni ſatisfaciant, ſeu *Præſtabilitæ*, ſeu *Influiſtæ* jure neutris ſubſcribimus.

LXXXIV.

Perobſcurum ergo, ac obvolutum tenebris eſſe aſſertæ unionis nodum ultro lubentique animo fatemur. Quædam tamen ſi ſecernantur ex reformato tertio ſyſtemate quartum fluit *Realis mutuæ actionis*, quod ita amplectimur, ut improbabile nobis non ſit animum in corpus agere ſibi unitum, tametſi non ſatis eluceat modus.

LXXXV.

Cæterum difficile cum admodum ſit decernere utrum corpora verè agant in ſe invicem, quomodo certum erit quod corpus agat in animam? Nihil perinde certi ſtatuimus hac ſuper re; dicimus tamen corpus ſin minus agere in animam, eam certo determinare. Neque per hæc Commercii myſterium contendimus explicaſſe, ſed potius effectus quoſdam.

LXXXVI.

Digitized by Google

LXXXVI.

Quare hoc miſſo, facultates animi aggredimur inveſtigandas, & primò quærimus de ſentiendi capacitate, quæ quidem dupliciter conſiderari poteſt, qua nimirum corpus, & qua ipſum reſpicit animum. Ad primum quod attinet factum eſt ſatis in Phyſiologia: quod jam ad alterum, pauca quidem, quæ minus incerta ſunt, delibamus.

LXXXVII.

Animus dum ſentit neceſſariò determinari videtur a corpore; quamobrem ſi *paſſivum* a Philoſophis dicitur, quod ab extrinſeco determinatur ad ſentiendum, anima dum ſentit, paſſiva eſt.

LXXXVIII.

Non nos latet eſſe inter Recentiores, qui duce præſertim Carolo de Bonnet activam ex eo conficiant animam, interea dum ſentit, quod poſita in organis determinatione ſibi communicata reagat ipſa in corpus. At cum hæc reactio ad hypotheſium licentiam eleganter conficta, potius quam ex phœnomenis, ex analogia deſumatur, ſive ex modo, quo ſupponuntur invicem agere corpora, multiplici ex capite videtur fluctuare.

LXXXIX.

Infallibili autem unuſquiſque experientia ſibi eſt conſcius, proprium animum dum actu ſentit, affici modò ſenſu jucunditatis, modo moleſtiæ, cognomine voluptatis, & doloris, qui quidem ſenſus abſoluti ſunt, ita ut non pendeant a ſola comparatione.

XC.

Alium non hic excludimus voluptatis, aut doloris ſenſum, qui ex comparatione haberi poſſit, & relativus dicitur, ſolummodò affirmamus abſolutos utroque in genere comparativis præire.

XCI.

At feſtivum ne potius, quam probabile, quod animus ſenſionem habeat utroque ſenſu doloris & voluptatis penitus vacuam, idcirco abſolutam quandoque apathiam? Acriter ſanè hac de re diſputatur a nonnullis Metaphyſicis. Verum ſiquis fuerit vel tantiſper in Phyſiologia verſatus, optimè quidem noverit quotidianam experientiam ſuadere apathiam, ſuadere & ipſam, in uſu ſenſuum maximè, quam vocant *continuitatis* legem.

XCII.

Dum ſenſiones aliæ aliis ſuccedunt, quiſqne ſatis intimo ſenſu percipit ſe eſſe principium, quod antea ſenſit, & nunc ſentit; percipit itaque ſenſiones, quæ ipſum afficiunt ſentientem animum fluxas eſſe, neque per ſe ſubſiſtentes, atque ab ipſo diſtinctas, quanquam eidem inhæreant ut modi ſubſtantiæ.

Digitized by Google

XCIII.

Quæ cum ita ſint fluit prono alveo, naturam ſentientis animi non in ipſa, qua actu afficitur ſenſatione, utique verò in ipſa ſentiendi capacitate fore locandam.

XCIV.

Jam ergo animus corpori copulatus ſentiendi capax evincitur. Nunc verò ut faciliùs aſſequamur quinam mentis actus ex uſu ſenſuum erumpant, quæque ideæ comparentur, juverit diligenti analyſi conſiderare quid homini contingeret, ſi per hypotheſim ſenſibus foret deſtitutus, dein quid indè futurum eſſet, ſi ipſi modò unus, nunc alter, & ſic deinceps concederetur ſenſus.

XCV.

Homo igitur, quem hìc omnium penitus idearum, & sensationum expertem confingimus, poteritne ſuæ ipſius exiſtentiæ conſcientiam habere? Sunt qui affirment: Nos vero tam lubrico, tamque præcipiti in loco hæremus ancipites; nemo eſt enim, cui clarius, atque diſtinctius innotuerit animi natura, nemo, qui meminerit, quomodo exiſtentiæ propriæ conſcientiam fuerit adeptus, nemo denique, qui vel ex brutis, vel ex fœtibus humanis indicium ad rem idoneum haurire poſſit.

XCVI.

Poteritne vero hanc ipſam exiſtendi conſcientiam occaſione motuum, quos objecta in ſenſibus excitant ſibi animus comparare? Maximè, & quidèm vel ab ipſa ſenſatione prima.

XCVII.

Quærunt hìc ſtudioſè Abbas de Condillac, & Carolus Bonnet, illata animo ſenſione omnium prima, cujuſnam exiſtentiæ ſenſum ille acquirat, propugnantque eo ſentiendi initio nonniſi vagum obtineri poſſe.

XCVIII.

At ſi quid video fortaſſe nimis fidenter: Si enim certum non eſt, non haberi in animo ante omnem ſenſationem exiſtentiæ alicujus conſcientiam, fieri quidem poteſt, ut data ſenſione prima animus tranſiens a conſcientia exiſtentiæ ante ſenſionem, ad conſcientiam exiſtentiae in ipſo ſenſionis actu, ſucceſſionem ſentiret, atque adeo ſe unum eundemque eſſe, nunc aliter ac fuerit; atque hinc diſtingueret ſtatum ſui præſentem a præterito, & ſic demum ſe unum ſemper a ſtatu diverſo diſtingueret. Incertum pariter eſt quonammodo ex appulſu objectorum circumpoſitorum in ſenſiferis organis extrinſecus ſeſe expliect animus ad ſentiendum. Poſſet ergo a prima ipſa ſenſatione ita determinari, ut illa perciperet ſe ab extrinſeca re affici percellique; atque ita poſ-

 ſet

ſet vel a ſenſione prima eſſe conſcius ſe exiſtere tanquam aliquid diſtinctum ab ea re, a qua fuit determinatus ad ſentiendum.

XCIX.

Itaque prudentis eſt Philoſophi hanc ſub Judice controverſiam adhuc relinquere, nec partes judicis dare Condillaco, atque Bonneto, iis ſcilicet qui nodum unionis cum corpore inexploratum ſibi, atque impervium profitentur.

C.

Quod verò ex prima ſenſatione incertum remanet, certum eruitur è ſecunda, cujus, ſi fuerit notabiliter diverſa, ſentire animus poterit novitatem, ex qua quidem & vetuſtatem primæ; ergo & reminiſci; igitur & ſeipſum a ſuis modificationibus diſtinguere, atque hinc habere cognitionem, quam laudati Methaphyſici *individuæ exiſtentiæ*, *& perſonalitatis ideam* vocant.

CI.

Hæc autem cognitio exiſtentiæ licèt individuæ certò eſt intuitiva, non demonſtrativa, unde inferre pronum eſt erraſſe Carteſium, dum ipſam inter demonſtrativas collocavit, quinimo *petitione principii* laborare Carteſianam demonſtrationem cuique perſpicuum eſſe arbitror.

CII.

Nemo hìc præterea inficiabitur turpiſſime deceptos fuiſſe Carteſianos, Malebranchianos, & Leibnitianos, qui omnes tuentur animum ſimul præſentes habere non poſſe plures ſui modificationes, eaſque pariter cognoſcere; vel ipſe enim reminiſcentiæ uſus apprimè horum doctrinam labefacit penitùs, ac peſſumdat.

CIII.

Conſcientia igitur, vel ut alii malunt Pſychologi *apperceptio*, quæ videtur eſſe primus actus animi ex uſu ſenſuum derivatus, & ab omni fere animi operatione individuus, eſt quidam ſenſus magis minuſve affulgens, prout major, minorve fuerit intenſio operationum animi.

CIV.

Conſcientia ſi ipſi fuerit comes reminiſcentia, intuitivum, atque directum parit *perſonalitatis* ſenſum; uſu præterea reminiſcentiæ habetur ſenſus ſucceſſionis, expectationis, admirationis, habitus, harmoniæ.

CV.

Commodo hoc loco idearum originem analytice inquirimus, quas ex ſenſibus proficiſci experientia freti omnes hac ætate ultrò dant cultiores Philoſophi: Quomodo autem id fiat nondum attigit quiſ-

quiſpiam licet diu, multumque in volutando hoc lapide deſudaverit, an fruſtra etiam in poſterum laborandum, Deus ſcit.

CVI.

Obvia eſt generica idearum diviſio in ſenſibiles & intellectuales; illæ a ſenſatione comparantur; hæ ab uſu attentionis, & reflexionis.

CVII.

Quæ attenrio & reflexio ſignorum adjumento augetur maximè, roboraturque. Hinc harum facultatum ope adquiruntur ideæ limitis, ſparii, motus abſoluti, & relativi, temporis, aliæque id genus.

CVIII.

Entium itidem ſpiritualium, ipſiuſmet etiam Dei, imo primorum principiorum, tum quæ ad ſcientias, tum quæ ad mores pertinent cognitionem, iiſdem profectò mediis aſſequitur homo.

CIX.

Notiones tandem pulchritudinis, & perfectionis, quarum notas præcipue opportunum viſum eſt inquirère.

CX.

Operam ergo ludunt, qui idæas fingunt mentibus humanis ingenitas.

CXI.

Item qui Dei, rerumque creatarum ideas à divina eſſentia ita menti exhiberi contendunt, ut in Deo omnia cognoſcamus, juxtà lepidam illam, ac venuſtam Nicolai Malebranchii fabellam.

CXII.

His exploratis, vim reminiſcendi, judicandi, reflectendi a vi ſentiendi differre, atque non unam eſſe in homine phyſicam ſenſivitatem propugnamus, ſecùs ac ægri, aut amentis ſomnio ſomniavit Helvetius.

CXIII.

Praeclariſſimam animi facultatem, ob quam in ſe ipſo, vel extra ſe aliquid producit, vel a primis ſenſibus ſubnaſcentem, mox accedente aliarum virium exercitatione paulatim adoleſcentem, qua animi humani ſupra reliqua animantia nobilitas, præſtantiaque exponitur, declaraturque, noſtra hìc poſtulat methodus, ut contemplemur.

CXIV.

Activa hæc facultas, quæ in abſolutas ſenſionum voluptates tendit, ab earum doloribus abſolutis refugit, voluntatis nomine venit; explicari autem poteſt vel ab ipſa æquabili ſenſatione prima. Quare aures Condillacco, Bonneto, aliiſque paſſim analyticis non

Digitized by Google

accomodamus, qui in contraria prorsus verſantur opinione; in eo enim quamplurimos credimus hallucinatos, quod non attenderent, ut opus fuerat, naturam doloris, & voluptatis abſolutam.

CXV.

Nemo itaque non videt primum, atque ſimpliciſſimum voluntatis actum in ſimplici inclinatione ad abſolutam voluptatem, vel ſimplici ab abſoluto dolore declinatione, fore ſtatuendum.

CXVI.

Primæ verò ſi ſecunda acceſſerit ſenſatio, tunc voluntas & præferre etiam poterit; atque hinc proſecuti ſumus pro ratione præferendi diverſa, qua vis hæc ſeſe modificare poteſt, fœcundam paſſionum, affectuumque originem, & naturam.

CXVII.

Qui autem delectationem, vel ægritudinem, dolorem, vel voluptatem probè noverit is certè etiam noverit affectus omnes humano animo naturales, immediatam, aut mediatam trahere originem ab amore ſui, atque cum eo optimè componi poſſe.

CXVIII.

Abſit tamen, quod aliquis inferat, vel inde declamet virtutem voluptatis ancillam fieri, vel è medio tolli veræ amicitiæ, aut grati animi amorem, aut liberalitatem, aliaſque omnes ſociales virtutes. Accuſationes hujuſmodi in eos valere poſſunt, qui objectum directum, aut finem judicii, quo virtutem diligendam eſſe putamus, delectationem præſertim eidem virtuti eſſe extrinſecam dictitant, atque adeo diligendum eſſe dumtaxat, ut delectemur, maximèque rebus caducis atque corporeis. Hæc ſane ea eſt ſententia, quam nemo audet coram quacunque hominum republica, aut ſocietate propugnare.

CXIX.

Cæterum amorem felicitatis uberrimum eſſe complurium affectuum fontem non inficiamur, imò poſtquam voluntatem ante rationis uſum tendere uſque in ſtatum relativè optimum, undè practicum illud vitæ ſervandæ ſtudium, obſervavimus, notionem abſtractam conficere ſibi animum conſtantis cujuſdam felicis ſtatus, eum appetere, approbare, in eumque ferri voluntatem, in quo tandem ſitum eſt felicitatis communis ſtudium, acriter ſuſtinemus.

CXX.

Diſcrimen hinc latè patet, quod intercedit meram inter conſervationis cupiditatem, atque cupiditatem aliam felicitatis in genere, quod turpiter Philoſophi Materialiſtæ confundunt. Nil nimirum proinde, quod illa poſſit etiam ineſſe infantibus, demen-

tibus,

tibus, & brutis ipſis, non item altera, qua vividius tanguntur illi, qui melius ratione utuntur, clarius, & perfectius abſtrahunt; quare in eiſdem fervidior, unde etiam approbatio, delectatio, & voluntas ardentior evadit.

CXXI.

Volendi, nolendique vim hactenus diverſimodè agentem inſpeximus; ut ipſam verò, quam vocant, libertatem actionis, & voluntatis penitius habeamus perſpectam, diſpiciendum ſupereſt, quinam effectus ex uſu voluntatis proficiſci poſſunt.

CXXII.

Porrò manifeſtum eſt, quod dum quiſque ſemel objectum aliquod alteri antepoſuerit, ſemel etiam attentionem mentis in illud convertit, diuturnius hinc, atque intenſius ſe cogitare experiatur, cœterarum vero objectorum ideas eo magis ſentiat langueſcentes, quo prior illuſtrarur magis: An non erit hæc attentio a voluntatis efficacia immediatè, vel mediatè determinata?

CXXIII.

Quotieſcumque itaque attentionem in ideas convertimus ſenſiles, haud improbandam opinor ſententiam Caroli de Bonnet, quod animus tunc agat prævio voluntatis ductu in fibras cerebri, quæ ſenſionem, vel imaginationem determinarunt, idque nonnullis obſervationibus ſuadere ſtudemus.

CXXIV.

Non ideo tamen tota quanta eſt animi attentio ad aſſertam in fibras activitatem eſt revocanda, in qua una plus quam crediderim acquieſcit Vir Summus: quoties enim judicamus, notiones communes accuratè conficimus, ratiocinamur, quoties ad ipſos voluntatis actus attendimus, ut inde liberam ejuſdem electionem inveſtigemus, certe actus iſti non ſunt a fibris immediate determinati, ſimplices non ſunt ſenſationes.

CXXV.

Duplicem propterea ſtatuendam fore duximus attentionem, quarum altera ſit mera, ſi placet, in fibras cerebri activitas, altera ſit in ipſos animi actus inſpectio quædam. vel contemplatio.

CXXVI.

Si voluntas perinde activitatem aliquam in fibris cerebri exercet, ſi in affectionibus animi vehementioribus cor, diaphragma, aliaque corporis membra commoventur, ſi voluntariæ habentur actiones muſculares, ipſa certe in corpus efficax habenda eſt. Libertate ergo actionis gaudet animus.

Digitized by Google

CXXVII.

Dum libertatem animo adjudicamus, tum a coactione, tum a neceſſitate, ſeu non lubentiæ modo, ſed etiam indifferentiæ, una ſimul contendimus nullo ipſum fato, nullaque tum phiſica, cum morali neceſſitate teneri, agitarique, ſecus ac veriti non ſunt defenſitare Philoſophi Fataliſtæ.

CXXVIII.

Quiſque enim doctus, vel indoctus intimo vividiſſimoque conſcientiæ teſtimonio, quod ineluctabile ſane argumentum eſt, vel invitus cogitur confiteri ſe ſua virtute non aliena moveri, videlicet ſe libere, non vi coactum agere, vel non agere, agere hoc, vel illud, ab hoc, vel illo pro lubito abſtineri poſſe; Hobbes itaque Bayle, Collins, Helvetius, Voltaire, aliique a vera libertatis notione quam longiſſimè abſunt.

CXXIX.

Quæ ſane libertas, uti, & cœteræ ſatis animadverſæ animi humani facultates conciliari haud poſſunt cum ſubſtantia materiali: animus igitur humanus a qnavis materiei concretione omnimodè ſejunctus, inextenſus, indiviſibilis, ſpiritualis ſit oportet, veluti humanarum quarumcumque actionum principium; quidquid in contrarium inter Materialiſmi ſomnia deliraverit Hobbeſii de grege alumnus Auctor impiiſſimii Siſtematis Naturæ. Quam belle ac nervosè poſt Albertum Hayer, Valſechium, Gerdil in hanc rem nuperrimè ex humani corporis ſtructura proponit argumenta. D. Lodovicus de Tralles in opere inſcripto *Conſiderazioni ſopra l'immortalità, e ſpiritualità dell' anima eſiſtente*.

CXXX.

Lockii proinde dubitationem, quam poſt ipſum exquiſito quoddam modeſtiæ artificio recoquit Vir amœnioribus litteris apprimè excultus, nullique ſecundus de Voltaire: num Dei virtute verſari, coagmentarique materia poſſit ad cogitandum idonea; Angli, inquam, Metaphiſici dubium ipſiſmet ejus principiis, tanti viri pace dixerim, tam præpoſtere inſtitutum, & molli ſuperædificatum arenæ, blando convellitur zephiro.

CXXXI.

Quid vero de anima pereunte corpore fiet? Cum partibus careat in partes certe neque ſcindi, nec diſcerpi, nec diſſolvi; nec igitur corrumpi diſſoluto corpore, vel creata vi ulla interire unquam poterit. Niſi itaque in nihilum ruat perennabit.

CXXXII.

Cognitæ autem animi facultates, & perfectæ, perpetuæque feli-

lici-

Digitized by Google

licitatis anxia cupido, tum Dei attributa collectivè ſumpta, ipſum æternum fore, ſemperque a Deo ſervandum evincunt; quibus cultiorum omnium nationum alterius vitæ beatæ, vel miſeræ perſuaſio ſi addatur, qua ducti ſepulcrorum curam habere, & heroum apotheoſin celebrare, magnaque religione colere conſuevere, confectum erit tuto poſſe Philoſophum aſſerere animum eſſe immortalem. Hiſce argumentis mirificè jugulantur Hobbeſiani omnes ſuperius recenſiti, quibus addendi ſunt Tolandus, Gildon, De la Metrie, Montagne, Saint Evremond, & Philoſophus Sans Souci, qui inordinato novitatis amore ducti difficilem incredulitatem ſtudebant pro viribus affectare.

CXXXIII.

Quod ſi quæratur undenam quiſque in aliis quibuſcum verſatur hominibus eundem eſſe animum ſpiritualem, atque immortalem dijudicet, præſto erit reſponſum id nos apprimè cognoſcere ex analogia, & inductione. Quod ſane judicium jurè moraliter certum habendum eſt.

CXXXIV.

Porrò ſi homines mundi hujuſce conſpiciant univerſitatem, alia etiam extra nos entia exiſtere deprehendent in pluribus quidem humanis ſimilia, in multis diſſimilia. Hæc ea ſunt, quæ bruta animantia nuncupamus.

CXXXV.

Implicatiſſimam quidem eſſe de anima Brutorum diſquiſitionem, multiſqne ambagibus implicitam fatemur; at non adeo denſis eſt involuta tenebris, ut vel minutus quiſque Philoſophus ſi quid modo diſpicere cupiat, nolitque agere opinionibus præjudicatis una duce analogia certi nihil definire poſſit. Hac præterea nos uſi brutorum corpora, & operationes cum corporibus, & operationibus hominum comparamus, & ſimilitudinem maximam utrinque cotporum, & operationum animadvertimus: quamobrem præcipuè contra Carteſianos, qui actiones omnes brutorum ex mechanicis motus legibus explicari poſſe ſibi blandiuntur, defendere ſatagimus in brutorum quoque corporibus hoſpitari animam, eamque eſſe incorpoream. Veterum vero Scholaſticorum ſomnium qui brutis animam ſimul ſentientem, & materiatam tribuebant, ſuo veluti pondere cadit.

CXXXVI.

Nihil moramur opinionem Patris Bougeant, qui animos brutorum eſſe dęmones ſtatuit a Deo in ea corpora detruſos, hanc nempe hypotheſim finxit, aut joci exercendi, aut oſtentandi ingenii gratia, nec ideo erubuit paullo poſt palinodiam canere.

Digitized by Google

CXXXVII.

At plura obſervantur in hominibus, quæ cum in brutis ſanè deſiderentur, & differentiam conſtituant eſſentialem ipſos inter, & bruta, invictum argumentum ſuppeditant aſſerendi principium illud eſſe longe imperfectius, ac plane diverſi ordinis, quam ſit hominum. Perperam proinde ab una organorum diverſa conformatione, præſtantia, aliiſque ſimilibus cauſis cur brutis præcellant homines, rationem repetit Helvetius.

EX THEOLOGIA NATURALI

CXXXVIII.

DEi exiſtentiam, ejuſque attributa vel una duce, & magiſtra ratione Philoſophi eſt demonſtrare. Quod ut aſſequatur tot inter propemodum innumera, quæ ipſa ſuppeditat argumenta, ea ſemper, ut appoſitè D'Alembert in egregio ſuo Opere *Melanges de Litterature &c.* tom.4. inquirere debet, quæ & expeditiſſima ſint, ſolidiora, ac demonſtrativa.

CXXXIX

Dum quiſque ſeipſum & res omnes creatas, phænomena, naturæ leges præclariſſimas ex quibus Mundialis hæc machina miro artificio, conſtantique ordine, ac numeris omnibus abſoluto ſiſtemate conſtructa reſultat, regitur, conſervatur, animo complectitur, vel invitus adigitur, mutuam aliquam dependentiam, entium mutabilitatem, contingentiam percipere, undè ad cognitionem, ac exiſtentiam ſupremæ mentis creatricis neceſſariò deveniat.

CXL.

Quam Dei exiſtentiam luculenter, ac nervosè teſtatur Nationum omnium conſenſus, quæ Deum aliquem exiſtere ſemper crediderunt, ut etiam traditiones, monumenta nationum omnium excurrenti apertiſſimè probant.

CXLI.

Stultè igitur Philoſophorum nomine gloriantur, qui vel Mundi originem denegant, vel Mundum Deum ipſum audent aſſerere.

CXLII.

Ita autem Deus exiſtit, ut neceſſariò exiſtat. Porrò in Entis neceſſariò exiſtentis notione præcipuæ Dei proprietates, ſeu quæ uſitato vocabulo attributa vocantur, vel immediatè, vel mediatè elucent; ideæ ſcilicet Entis a ſe, æterni, independentis, ſimplicis, immutabilis, immenſi, immaterialis.

CLXIII.

Digitized by Google

CXLIII.

Quandoquidem ergo Deus ens eſt abſolute neceſſarium, hoc ipſo unicus etiam ſit oportet: Irridendi ſunt itaque Polythæi, qui Dei exiſtentiam neceſſariam cum viderent, unicitatis neceſſitatem, adeo obviam non perſpiciebant; Commentum planè ridiculum illud Manetis de duobus principiis ſyſtema omnibus videri debet, quod a Gnoſticis, Cerdoniis, Marcionitis primò excogitatum fuiſſe fertur: turpe, ac præpoſterum conſilium illud Petri Bayle, qui magno apparatu eum revocare totis nervis conatus eſt, dum Manichæorum argumenta ita expendit, ut iis maximam probabilitatem nitatur adſtruere.

CXLIV.

Ut unus eſt, ita & providus: Quæ ſanè Providentia cunctis in rebus quæ moventur, reguntur, gubernantur, apprimè ſeſe prodit.

CXLV.

Tandem, & ſumme liber; ita ut Mundum quem condidit non condere potuiſſet, aut alterum condere perfectiorem, aut præter hunc tot alios poſſibiles.

EX ETHICA

CXLVI.

EX demonſtrata Supremi Numinis exiſtentia, qua Creatoris, & Proviſoris, tum ex animadverſis hominum facultatibus Legem aliquam exiſtere ipſis conſtitutam, facile oppidò eſt deducere.

CXLVII.

Qua etenim naturæ auctor Sapientiſſimus ad aliquem finem homines condidit, qui eſſe alius non debuit quam felicitas in operum proemium propoſita; qua Proviſor optimus medium ſuffecit, quo hunc finem aſſequerentur. Medium vero hujuſmodi aliud non poteſt eſſe niſi Regula abs qua diriganter, & ad quam actiones faciliimè conforment ſuas, ut bene inde beateque vivant, quæ Lex, ſeu Jus naturæ audit.

CXLVIII.

Hæc vero rerum agendarum norma ita exiſtit, ut neque inventum ſubtilioris cujuſdam humani ingenii, neque ſcitum aliquod populorum habenda ſit, ſed univerſalis quidem, immutabilis, perpetua dici debeat; quamvis quoad ſecundaria, & remotiora principia non vigere ubique concederetur.

CXLIX.

Ab eadem moraliter homines obſtringi liquido patet; fundatur ſiquidem in voluntate Dei ſub notione Creatoris ſummè Sapien-

Digitized by Google

pientiſſimi legem a ſe conſtitutam jure ſervari præcipientis, vetantis violari, adjecta prœmj & pœnæ ſanctione. Porrò vera obligatio exiſtit cum ſufficienter ſingulis innoteſcit. Innoteſcit verò medio rationis lumine, atque adeo eſt omnibus ſufficienter promulgata.

CL.

In ſtatuendis principiis legis cognoſcitivis in diverſa abeunt Philoſophi. Alii diverſitatem temperamentorum, alii nationum conſuetudines, alii privatam cujuslibet utilitatem aſſignant. Ab aliis alia afferuntur; ſic Hobbeſio appetitum ſervandæ vitæ, phyſicam poteſtatem Spinozæ, tranquillam, ac pacatam ſocietatem Puffendorfio arriſiſſe novimus. Sed ad unum omnes erraſſe, neque ad notionem legis aſſurgenti idonea eſſe aſſerta principia contendimus.

CLI.

Quemadmodum nec ſympathiam, qua ſummopere delectatus eſt Adam Smith, aut guſtum, aut tactum, vel ſenſum aliquem moralem, quem maximè obtrudunt Hutcheſon, & Robinet, aliique Anglici hujus phantaſmatis confictores, vel patroni, qui poſtremus Robinet ſenſum hunc, & a phyſica organizatione pendere, & morale quoddam organum eſſe commentus eſt, quod ſuis moralibus fibris ingenioſè conſtructum, aliquam peculiarem cerebri medullam retis inſtar ambientibus ſeſe commutet ad impreſſionem moralis objecti, impreſſionemque ad animam transferat.

CLII.

Sed habetur præciſè in recta humanæ naturæ conſtitutione expoſcentis actiones conformes ordini, quem Deus homini indixit, tum in ipſa felicitate, quam quiſque ſtudioſè inquirit, ac demum in ſumma Legislatoris Dei perfectione.

CLIII.

Quæ omnia ſi ſedulo animadvertantur perſpicuum erit nullam ſtare poſſe Rempublicam Atheis, ac Deiſtis coaleſcentem.

CLIV.

Ab aſſerta actionum humanarum regula, quæ Deum habet auctorem, facilis manat officiorum diviſio pro varietate objectorum ad quæ referuntur. Alia itaque recenſentur officia erga Deum, quæ religionis efficiunt neceſſitatem, alia erga nos ipſos, cæteroſque quibuſcum vivimus, quibus regitur & privata virtus & publica, ſeu tum individua tranquillitas, tum ſocialis. Hiſce officiis tota naturæ lex perficitur contineturque.

CLV.

Officia erga Deum adorationis cultum eumque lectiſſimum complectuntur. Hic duplex eſt interior, & exterior, quorum altero animi affectiones, altero habitum corporis motibus animi conſentaneè agentis indicari volumus.

CLVI.

Digitized by Google

CLVI.

Quæ igitur præcipua Deo debentur officia, erunt eum amore proſequi præſtantiſſimo, puriſſimoque, ſummo obſequio, ac timore colere, grates illi agere, in omnibus ei parere, ut Creatori omnipotenti, & optimo, de eo bene loqui, publicè religionis ſpecimina præferre.

CLVII.

Cum vero determinatum cultum, & quam maxime Deo dignum lex naturæ præcipiat, nec ipſe tamen videatur una ratione duce homini poſſe certò innoteſcere, latè patet neceſſitas Divinæ Revelationis.

CLVIII.

Accedit modum placandi Numinis, poſtquam homo deliquerit, ingenio ſibi relicto impervium eſſe, nec certo aſſequi niſi magiſtra & auſpice Revelatione quomodo Deo quis poſſit reconciliari. Conveniens ergo, utilis, ac neceſſaria Divina eſt Revelatio, ut ut contra ipſam blaſphement Naturaliſtæ.

CLIX.

Nunc quæ ſibi debet homo officia perpendenda ſeſe offerunt. Nemo eſt, qui ſeipſum non amet, & ſibi bene eſſe velit, bona omnia ſibi evenire non cupiat, mala cuncta devitare non ſatagat. At fit perſæpe, ut dum quis bona, & utilia ſibi undequaque quærit, ſui ipſius amore ductus ultra limites facilè egrediatur. Studere igitur quiſque debet tota animi, & virium contentione, ut officia pro ſe ipſo ita componat, ne cæteris incommodo ſit.

CLX.

Duplici ratione officia hominis erga ſeipſum dividuntur, alia ad animum, ad corpus alia referuntur. Quæ ſpectant ad corpus vitæ cuſtodiam imprimis praecipiunt, ita ut nihil tam temerarium nihil rationi tam adverſum videatur, quam vi ſibi illata occupare fata non expectare. Illicitum itaque quovis in caſu ſuicidium, vel ſingulare certamen, ſive duellum.

CLXI.

Non ita abſtinendum a violenti & injuſti aggreſſoris caede, quoties aliter aggreſſor depelli non poſſit.

CLXII.

Corpus itaque ratione phyſicae conſtitutionis exigit conſervari Hinc jure naturae tenetur homo alimenta ſibi concedere, atque illa praeferre; certaque menſura ſumere, quae valetudini plurimum prodeſſe queunt, moderatam corporis exercitationem non omittere conſervationi congruam, & proportione viribus reſpondentem: in veſtitu & domicilio ratio habenda eſt ſtatus proprii, decori ſtudendum maximè, at exceſſus in omnibus perquam ſedulo vitandus.

CLXIII.

Ergo ſicuti vita & ſanitas conſervari debent, ita omnes morbi ſi poſſunt caveri propulſarique debent, vel eorum vis arte, quo diligentius poteſt & ſubſidio frangenda.

CLXIV.

Digitized by Google

CLXIV.

Ad celebrem hinc, & vulgatiſſimam de variolarum inoculatione pertractandam quæſtionem devenimus. Nos ut agamus Philoſophos, ſimulque ne in alienam meſſem falcem immittamus, Medicis relinquimus determinare: ſit necne aliquod mortis periculum ex inſitione variolica: dein rem omnem ſic abſolvimus: vel nullum eſt vitæ periculum in inoculando, & tunc non ſolum prudentis eſt, ac vitæ ſalubriter conſulentis ſe, ſuoſque inoculationi ſubjicere, verum & contra naturæ jus faciunt qui ipſam penitus omittunt; vel aliquod (quod certè minimum eſt) ſupponitur, mortis periculum, & tunc permiſſam tantum dicimus.

CLXV.

Inoculationem vero ſubiturus nulla peculiari præparatione torqueatur; ſed ſi bene valeat una, aut altera punctione acus in variolicum virus intinctæ, inoculetur.

CLXVI.

His, quæ generarim de conſervatione, & perfectione corporis debita quærenda videbantur, præmiſſis, nunc quæ propriæ animi perfectioni debentur complecti juvat. Perfectionem porrò animi, ad quam magis obligamur, corporis perfectioni eſſe præferendam ſi quando hæc illi opponatur, quis neſcit?

CLXVII.

Perfectio vero animi ſtudium maximè cognoſcendi ſeipſum depoſcit, ut monet aureum illud, ac percelebre Apollinis præceptum *Noſce teipſum*, ſcilicet animum tuum; patebit enim inde, quæ ſint vires humani ingenii, quid humeri ferre poſſint, quid vero recuſent; quænam tandem regula ad earum culturam opportuniſſima.

CLXVIII.

Sapere autem ad beatitudinem ut ſcitè habet Sophocles, *præcipuum eſt*. Quare intellectus cognitionibus neceſſariis, exinde utilibus quoquo modo quiſque poteſt pro ingenii ſibi conceſſi modulo, perficiendus eſt.

CLXIX.

Quæ ſi vera ſunt, ut ſunt omnino veriſſima, faceſſat jam Rouſſeau, qui imperitiſſimo judicio profert literas per ſe maximè hominibus, & ſocietati pernicioſas: faceſſant tandem & ipſi literarum inimici.

CLXX.

Voluntas etiam omni conatu, ac ſtudio ita conformanda eſt, ut illud ſemper cupiat, velit, amet, quod rectum, quod honeſtum, quod optimum, præſtantiſſimumque ſit. Alia perſequi bienniî anguſtiis diſtenti non licuit.

Diſputabuntur publicè Senis in Archiepiſcopali Aula Præſide P. D. FRIDERICO DE BELCREDO *Ticinenſi in Archi-Cœnobio Montis Oliveti Majoris nullius Diœceſis Philoſophiæ Profeſſore, Anno* 1781. *Menſe* *Die* *Hora*

Digitized by Google